



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

prioritas vel posterioritas inter nationes easdem quomodolibet argui vel notari, omnino pro infectis habens, quantum ad effectum huiusmodi, nullius efficaciam, roboris vel momenti esse decernit, reseruans ipsis nationibus & cuilibet earum ante praesens Concilium Constantiense alias competentes & competentia, prouiso quod per praesentem ordinationem decretis, statutis, ordinationibus & constitutionibus in praedicta sancta Synodo Constantiensi editis & promulgatis, non intendit alias in aliquo derogare, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

## SESSIO XXVII.

*In causa Tridentinensi.*

**A**NNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, die vero Sabbati vigesima mensis Februarii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, praesidente in eadem reuerendissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi, sanctae Romanae ecclesiae cardinali & vicecancellario. Fuitque peractum officium Missae per reuerendissimum patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Et ipso officio Missae expleto, legebantur litaniam & aliam deuotam orationes more aliarum sessionum. His vero peractis, fuit accusata contumacia Friderici ducis Austriae, & aliorum in monitorio nominatorum, non curantium audire relationem fiendam per episcopos commissarios dictae Synodi super executionis valitudine. Et deinde reuerendus pater dominus Martinus episcopus Aprutinus, vnus ex commissariis in huiusmodi causa, legit quamdam relationis papyri schedulam tenoris infra scripti.

*Relatio facta per commissarios in causa Tridentinensi  
super executione monitorii.*

*Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis.*

Deuoti commissarii nostri in causa ecclesiae Tridentinensis dudum per hanc sanctam Synodum deputati, vt se informarent simpliciter & de plano, ac sine figura ac strepitu iudicii, an monitorium alias per eandem sanctam Synodum



ANNO  
CHRISTI  
1416.

contra illustrem principem dominum Fridericum ducem Austria, & alios quoscumque occupatores & detentores ecclesie & ciuitatis Tridentinensis, nec non oppidorum, castrorum, terrarum & locorum, ac bonorum & iurium ad dictam ecclesiam Tridentinensem pertinentium, decretum sit debite executum, & cum potestate citandi dictum dominum Fridericum ducem & alios quoscumque detentores & occupatores supradictos, per edictum publicum in curia Romana, in valuis ecclesiarum maioris & sancti Stephani Constantiensis affigendum, ad dicendum & opponendum quidquid voce vel in scriptis dicere vel opponere voluerint contra dicti monitorii executionem, in dicta curia & in partibus factam, ac etiam propter non apparitionem huiusmodi monitorii, ad videndum & audiendum se declarari per dictam sanctam Synodum in poenas in dicto monitorio contentas incidisse, & postea per eandem sanctam Synodum commissum extitit, quod praefati commissarii vel maior pars ipsorum praemissa facerent & exequerentur, & quae super his reperissent, eidem sanctae Synodo fideliter referrent: Dicunt & referunt eidem sacrae Synodo, quod coram ipsis pro tribunali sedentibus, vocato dicto domino duce, & aliis pro parte dicti domini episcopi, instrumenta & alia probationum genera dictarum executionum monitorii, tam in hac ciuitate Constantiensi, quam in partibus in omnibus locis in ipso monitorio deputatis per edictum publicum, cum constet de non tuto accessu, fuerunt producta, & seruatis seruandis per eos secundum formam eis traditam, auditoque procuratore & defensore dicti domini ducis ad singulos actus citato, constet eisdem ex productis dictas executiones & monitiones fuisse & esse debite in locis debitis factas & executas secundum formam praedicti monitorii, non obstantibus exceptionibus pro parte aduersa propositis, & terminum in dicto monitorio dicto domino duci & occupatoribus praedictis constitutum, dudum lapsum esse, nec eosdem monitos docuisse satisfactum, aut paritum monitioni.